

Quæ ad istum biographum attinent, habes mox indicato, § 64, cujus Vita his jam recusa supersedendum nobis duximus; cum persuasum habeamus, biographos primigenios abunde suffecturos tum lectorum utilitati, tum sancti gloriæ, tum denique muneris nostro. Quod si nonnulla referat singularia, quæ novisse lectoris intersit, poterit etiam eorum haberi ratio.

731. Idem, quem modo nominabam, Vitarum S. Bernardi editor, col. 1292, profert Prætermissa apud Chiffletium ex Gaufrido superius, inquit, col. 1278, post articulum 10, et postea reperta: quæ excipit carmen panegyricum Philothel monachi de Vita et moribus ejusdem sancti, quem inter scriptores ordinis Cisterciensis ponit Carolus de Visch in sua Bibliotheca. Carmen illud etiam existat in editione Horstiana. Adde duo alia de laudibus sancti Patris; alterum, cui auctor prænotatur Nicolaus Hacqueville, sacri senatus Parisiensis præses æquissimus; alterum Baptistæ Mantuani ex VIII Pastorum. Sed facile patimur abesse ab editione nostra rivulos hosce poeticos, ubi genuinis antiquissimorum biographorum fontibus abundamus. Me-

minisse interim hoc loco non pigeat illud, quod habetur apud Mabillonium, col. 1306. In Ms. cod. Aquicinctensi legitur earmen sic inscriptum: *Venerabili abbati Clarævallensi Bernardo Anselmus in laudem Clarævallensium sub hoc initio.*

« Vallis devexa, quam mons devexus opacat. »

Post brevem hanc observationem datur ibidem descriptio positionis seu situationis monasterii Clarævallensium; quæ apud Horstium etiam existat, et quam supra allegavi, § 5, num. 56.

732. Hæc habui, de quibus lectorem meam præmonerem. Si vero in Vita, ab hac nostra impressione seclusis, præter illa, quæ in antecessum a nobis inserta ex iis sunt huic Commentario prævio, alia se offerant documenta, quæ vel ad sancti gloriam, vel ad lectoris instructionem conducere admodum comperero, locum illis dabo post Vitam, in Gloria posthuma S. Bernardi, in qua colligentur de viro res bene multæ atque insignes, quas eo differre visum est. Tandem itaque longum maris, ut ita dicam, iter emensus vela contraho, ac subdæ Acta; in quorum impressione quænam a nobis sint servata, superius lectorem monui, § 64 in fine.

(Sequuntur paræ de vita S. Bernardi lucubrationes quæ existant supra.)

GLORIA POSTHUMA

AC SUPPLEMENTUM

AD S. BERNARDI VITAM, ET MIRACULA, NEC NON AD NOSTRUM COMMENTARIUM PRÆVIUM.

CAPUT PRIMUM.

Veneratio publica; monasteriorum propagatio; recentissimæ notitiæ de sancti sepulchro ac reliquiis. Umbra ejus, et a. u. sacra lipsana.

1. Quæ in Commentario prævio § 62, dicta sunt de officio S. Bernardi, ac de veneratione publica ipsi tributa, hisce suppleri possunt. Inter *Statuta selecta capitulorum generalium ordinis Cisterciensis*, quæ ex variis codicibus manuscriptis habentur apud Martenium in Thesaurio novo Anecdotorum tom. IV lego ista ad annum 1321, col. 1506, num. 5: *Item cum ad mutuum charitatis gratitudinem ex debito professionis monasticæ teneamur, servitium pro sancto Hugone, primo abbate Cluniacensi, eo quod in dicta domo et suo ordine universo sancti Bernardi Patris nostri*

solemne servitium celebratur; in hunc modum salubriter statuit generale capitulum, etc. Unde liquet, Officium de S. Bernardo tunc celebratum fuisse apud Cluniacenses omnes ritu solemniori. Ad venerationem publicam etiam spectat, quod viri sancti patrocinium imploratum fuerit contra morbum contagiosum. Etenim post Vitam et miracula S. Adriani, huius pestiferæ patroni peculiaris, quæ, auctore P. Gaihelmo Hardigny et Societate Jesu, anno 1636 Luxemburgi Gallice sunt impressa, una cum parvis aliquot tractatibus aliis, pag. 260. S. Bernardum adnume-

rat consilibus aliis, qui morbo isti sunt propitii, et addit, anno 1625 opem viri contra eum imploratam fuisse Liræ, prope Antuerpiam, in sacello ejus. Imo forte in æde sacra monialium Cisterciensium B. Mariæ de Nazareth, extra muros Liranos: ubi frequens et utilis, ut audio, ad sanctum quotannis est concursus die 30 Augusti, et per octavam.

2. Superius parte tertia miraculorum, cap. 7, num. 343, referuntur ea quæ Rutilæ patrata sunt. Locus autem iste scriptoris ex grata Rutilensium memoria commendatur, qui magnam Sospitatorum singulari cultu prosecuti sunt, teste Raissio in Autario ad natales sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem 20 Augusti, fol. 170, ubi hæc scribit: *Hunc etiam locum, Rutilensem scilicet vicam miraculis illustravit, quando tres mulieres claudas, et duos cæcos restituit sanitati. In cujus rei perpetuam memoriam, imago sancto Bernardo erecta est in ipsa ecclesia, quam vidi: suntque ad eam annuæ processiones feria sexta post Pentecosten, quando illa miracula facta ibidem fuisse, ex veteri traditione, devotus populus arbitratur. Hæc autem mihi ibidem esistenti, monasterii dicti prior, Petrus Haymam communicavit.*

3. Joannes Cognatus, vulgo Cousin, libro III Historiæ Tornacensis, cap. 50, affirmat, S. Bernardo obstrictos admodum esse Tornacenses, ac jure merito eum tanquam patronum et protectorem episcopatus Tornacensis haberi ab ipsis posse, propterea quod ejus apud Eugenium papam auctoritate interposita obtinuerint antistitem particularem, cum antea subessent episcopo Noviomensi; atque hac de causa viri effigiem in vitro fenestræ ad latus septentrionale, in circuitu chori ecclesiæ cathedralis, depictam esse supra historiam itidem in pictura representatam restaurati episcopatus. Favor autem ille novi ac proprii episcopi Tornacensibus concessi, suffragante Bernardo, contigit sicut testatur Albericus in Chronico ad annum 1148. *Apud civitatem, inquit, Tornacum, cum per quadringentos annos circiter fuit iota civitas sub episcopis Noviomensibus, tandem sancto mediante Bernardo, positus est per Eugenium papam novus episcopus, et recepit ecclesia privilegium antiquum. Primus episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Gallerus.* Favor autem ille, quem Albericus supra citatus narrabat ad an. 1148, contigit anno 1146, uti constat ex ipsa bulla Eugenii papæ III, quæ refertur in tomo II editionis novæ Diplomatum Miræi, pag. 1167, domino de Castillia in sua Chronologia sacra Belgii, pag. 405, asserente authenticam habere se copiam hujus bullæ anno 1146, datæ secundum notationem amplissimi ac eruditissimi domini censoris hujus tomi. Nec vero religiosum S. Bernardi cultum apud cœnobitas Aquicinctinos, in Gallo-Belgica prope Duacum, indictum relinquam, quando ipsius reliquię eo delatæ sunt ab istius monasterii abbate. Quippe Ferræolus Locrius in Chronico Belgico ad annum 1179, et Chronico Aquicinctino hæc narrat: *Anno 1179 Simon, nonus Aquicinctini monasterii antistes, in redi-*

A tu ex concilio Romano, Clarevallem divertit, et reliquias beati Bernardi ab ejusdem cœnobii abbate, precibus impetrat: quas Aquicinctum delatas, magnis honoribus affecti. In Gallia Christiana, tomo II editionis novissimæ, col. 412, res etiam narratur sub Simone I, abbate novo Aquicinctino. Adde ex Manrico, quod Paulus abbas Palaciolensis in Castella veteri Hispaniæ, singulare aliquid in honorem sancti excogitavit, quando præscripsit, *ut in confessione, quæ in missarum initio proferri solet, sanctus Bernardus Parens post B. Virginem immediate invocaretur: Confiteor Deo, beatæ Mariæ, et beato Bernardo.* Hæc e dicti historici Cisterciensis libavimus appendice ad tonum IV Annalium Cisterciensium pag. 629, et habentur inter aliâ quæ interuntur anno 1550.


4. Sancti nostri gloriæ maxime clarificæ apud posteror ex mirificæ sobolitis suæ Clarevallensis propagatione. de qua re scribit Guillelmus libro 1 Vitæ apud nos supra cap. 7, et quamvis in mœis ad illud adnotatis hoc argumentum siqgillatim non tractare statueram, sequentia tamen ad illum biographi locum illustrandum subjungere hoc loco visum est. Apud Gaufridum libro v, Vitæ, cap. 2, num. 262, dicitur *Clarevallensis cœnobii primus abbas aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater.* Quod sic est intelligendum, ut magnum tot fundatorum monasteriorum partem sanctus Pater non immediate per se, sed per suam sobolem excitavit; ita tamen, ut, quod filii ejus fecerunt per se, Bernardus Pater in filiis fecisse merito dici possit, atque adeo felix de secunda illa propagatio ad gloriâ ipsius Sancti posthumam pertineat; observante Mabillonio ad locum Gaufridi, quem proxime indicabam, *nempe tam per se, quam per abbatias Clarevalli subjectas abbatem sanctum fundasse ista monasteria. Nam Bernardus, ait, per se tantum septuaginta duo cœnobiter monasteria excitavit vel adolevit; nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 3, totidem in Sabaudia, et in Hibernia; in Italia 4, in Germania duo; duo item in Suecia, ad demum unum et alterum in Hungaria et Dania, et Chronologia nostra: quam lector etiam inveniet in nostro Commentario prævio § 59. Innocentius itaque papa III, in litteris apostolicis ad ecclesiam Gallicanam, quas Commentario nostro prævio inteximus § 60, hanc singularem viri prærogativam inter alias merito suspicit, quando illum laudat, quod usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmissit, atque monasteriorum fundationem extenderit.*

5. Alter vero Christi in terris vicarius Gregorius IX insigne ad perpetuam viri sancti memoriam in simili materia adjunxit decus, dum in bulla, qua S. Dominicum, ordinis FF. Prædicatorum fundatorem sanctorum factis ascripsit, hæc de S. Bernardo; *Post quos, (primos videlicet nove legis prædicatorum, ac S. Benedicti filios, de quibus egerat), Christus Dominus quasi lassum renovaturus cœnobitum, et redditurus jabulum post lamentum, afflictis ad-*


quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cisterciensis A ordinis, et Florensis, velut tonsarum greges, geminæ aharitatis fetibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit ascendere, sancto Bernardo, ariete ovium in virtute spiritus, qua ex alto indutus exstitit, et in abundantia frumenti vallium præeunte, ut transeuntes liberati per eum, in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, et ponant castra Dei exercituum super mare. Supersunt quædam notanda de statu hodierno corporis S. Bernardi, ac sepulcro.

6. De hac re subjungo ista, uti etiam alia nonnulla, quæ ad idem fere argumentum pertinent; quæque omnia supplementum erunt ad dicta in Commentario nostro prævio § 50, de sancti corpore, ac testamento ejus seu ultima voluntate; § 51, de tumulo; § 53, de cubiculo, etc. Hisce autem ibidem præmissis novæ postea ad nos submissæ sunt notitiæ, quas cum grati animi memoria debemus R. A. et Eximio D. Candido Briger, ord. Cisterc., in Valle B. V. M. de Campo Lilliorum, vulgo *Lilienfelds*, in Austria inferiore, ac in diœcesi Pataviensi, priori meritissimo, ac sacræ theologiæ doctori. Etenim postquam viro, ad capitulum generale, quod sub initia mensis Maii anno hoc 1738 Cistercii inchoatum fuit, proficiscenti, ac sua nostrum museum præsentia in transitu honoranti, exposuisssem meum desiderium discendi plura de statu præsentis corporis S. Bernardi, id sibi futurum curæ addixit. Nec minus fecit quam addixit; prout patet ex humanissimis ejus litteris, quas huc direxit *e Cistercio in Burgundia, octavo Idus Maii, anno 1738, actu sedente capitulo generali*. Ex iis autem delibo sequentia, quæ potuit Brigerus in rem nostram comperire in monasterio Claravallensi:

7. *Corpus... sub terra conditum quiescit. Caput vero pelle et carne nudum (quod calvariam vulgo dicimus) argenteæ inclusum thecæ, eo loco asservatur, quo loco ecclesiæ thesaurus reponitur: ubi etiam prostat argentea tumba; at præter viri sancti cucullam, nihil omnino condens. Tumulus ejus retro aram majorem in Claravallensi templo, octo circiter pedes supra terram attollitur, et marmoreis columnulis vestitur: cui statua sancti viri desuper insidet. Ad pedes tumuli erectum cernitur altare: super quo Missarum sacrificia Deo offeruntur. Facies et latera sepulcri ea figura sunt, quam acclusa schedula exhibet, rudi licet penicillo depictam. Dominus nihilominus abbas Claravallensis, quem ea super re hodie hic loci conveni, accuratiorem se missurum spondit. Promisso respondit eventus: nam nomine Reverendissimi Domini sui abbatis Claravallensis meliorem mausolei S. Bernardi delineationem huc misit e Claravalle, die 29 Julii anni 1738 R. A. D. Joannes Antonius Macuson, Sedis Apostolicæ protonotarius, et magister novitiorum ejusdem abbatiæ. Delineatio autem, quam accepi, e majore forma ad minorem hic contracta est a nostro chalcographo, qui faciem sepulcri, secundum exemplar sibi propositum, accurate imitari conatus est, prout in hoc ejus ectypo cernis.*



Quæ vero sint latera mausolei discet lector e schemate secundo. Utrique, prout luc est missum, supereminet sanctus; sed manu adscribitur, in 1° non in 2° esse verum ejus vestitum. En illud:



8. Alia, quæ huc spectant, his verbis describere pergit laudatus Brigerus: « *Tumulo antrorsum gemina tabula ferreis catenis affixa visitur, quarum prior sic habet:*

HIC REQUIESCIT SANCTUS BERNARDUS PRIMUS ABBAS SACRI MONASTERII CLARÆVALLIS.

In altera tabula leguntur sequentia:

TESTAMENTUM BEATISSIMI BERNARDI, ABBATIS: TRIA VOBIS OBSERVANDA RELINQUO, ETC.

Videsis nostrum commentarium prævium § 50, num. 543, ubi non adduntur ista verba: *Ecce, charitatem, humilitatem, patientiam vobis relinquo.* Post quæ sequitur in epistola laudati Brigeri, testamentum sancti Patris metro alligatum: ac de tabulis istis locutus, *Præterea, inquit, domus, seu cella potius, tota pene lignea, et grabatus, in quo spiritum emisit, hodieum supersunt in Claravalle.*

9. Porro si quis plura desiderat de ipso Claravallensi monasterio, Gallicum adeat Hodœporicon, seu Itinerarium litterarium duorum religiosorum ordinis S. Benedicti, & congregatione S. Mauri, auctore Edmundo Martene, parte 1, ubi pag. 99, legit, in cœmeterio, de quo ibi agitur, sepulcra fratrum S. Bernardi spectari, uti etiam ejusdem sancti cellulam, quam Guillelmus de Campellis, episcopus Catalaunensis, exstrui pro eo jussit, ut infirmitatibus corporis laboranti solatium afferret. Vide commentarium nostrum prævium § 7, num. 78, et librum primum Vitæ, cap. 4, num. 37. In dicto Itinerario etiam hæc narrantur pag. 100, videlicet caminum non esse in ista cellula; adeo quippe *S. Bernardum* fuisse mortificatum, ut ignem pro se strui noluerit; verum sub viri lecto magnum lapidem exstitisse, in pluribus locis perforatum, sub quo accendebatur focus, ut cubiculum calefieret, ipso id non observante: ad hæc, cubiculo isto, ac *S. Bernardi* lecto, qui ibidem hodieque conservatur, nihil magis simplex videri posse; cellæ item huic contiguum esse parvum sacellum, quod verosimiliter fuerit constructum, ad aram faceret; vita ibi functum esse, affirmari; legique ibidem inscriptionem, quæ satis perspicue hoc enuntiet. Ex his, quæ ex isto Itinerario libavi, magis lucescant paulo ante præmissa, et ea quæ habentur in Commentario prævio § 53, numero 564.

10. Præter ea, quæ jam memorata sunt e Martenio, mentio etiam fit apud eum de calice *S. Bernardi*, pag. 99, de casula autem pag. 104, ubi etiam tractat de magna capsula argentea, quam episcopus aliquis Santonensis fieri curavit ad imponendas in eadem reliquias *S. Bernardi*; sed addit religiosos, timentes ne, si ossa ejus extraherentur e sepulcro, principes plurimi, quibus id negari haud posset, aliquid ex illis peterent, maluisse, ut ea ibi relinquerentur. Fertur etiam apud Claravallenses spectari umbra sancti supra lapidem, in quo corpus ejus lotam fuit post mortem; at nescire se asserit Martenius, an hoc tam sit prodigiosum, quam creditur: nam umbra, ait, illa non spectatur ab omni parte; sed oportet esse in certo quodam situ, ut illa de-

Aprehendatur; idque fieri posse judicat naturaliter per reflexionem luminis. Hæc ille. At quidquid sit, mirabilis quidem ista luminis reflexio est: an vero fiat per stricti nominis miraculum, in medio relinquo. Audiamus interim de hac re Chrysostomum Henriquez in Fasciculo ordinis Cisterciensis lib. 1, distinctione 4, cap. 51. *In sacro, inquit, cœnobio Claravallensi, stupendum, idque continuum exstat miraculum, quod non parum sancti abbatis commendavit virtutem. In lapide enim ubi corpus ipsius, secundum consuetudinem ordinis, fuit ablutum, ejusdem corporis umbra in hodiernum usque diem perseverat, ab omnibusque clare et manifeste videtur. Cumque hæretici tanti miraculi memoriam abolere niterentur, et variis instrumentis lapidem ipsum cavarent, umbra descendit, nec aliquo modo deleri potuit, ut a R. D. Adriano Cancellier, abbate Dunensi accepti.*

11. Laudatus supra Martenius in Itinerario alio, quod in lucem prodiit Lutetiæ Parisiorum anno 1724, agens de celebri abbacia Camberonensi, ordinis Cisterciensis, in territorio Montensi Hannoniæ, pag. 198, scribit casulam *S. Bernardi*, quæ ibi ostenditur, inspirare pietatem: nec esse illam e panno aureo, nec argenteo, nec serico; sed ex simplici gossipio contextam: usui eam esse in die festo sancti, et in primitiis religiosorum. Idem auctor pag. 40, inter alia quæ refert de Valleclara, quæque signatur superius in Chronologia Bernardina apud nos parte prima, ad annum 1134, mentionem facit de *S. Bernardi* pallio, quod Gallice vocat *la coule*, dicitque illud ibidem conservari. Nec piget hic observare quod duplex sit apud Bernardinos palliorum genus; unum nempe candidum, quod est vestimentum valde amplum, et quo acetæ Bernardini utuntur in cæremoniis, et quando assistunt officio; alterum vero nigrum, estque etiam vestimentum admodum amplum, et quo Bernardini utuntur dumtaxat in urbibus, et quando incedunt per plateas; ex Dictionario Gallico-Latino, quod anno 1074 Trevoltii editum est, in voce *coule*.

12. Apud eundem Martenium in Veterum scriptorum et monumentorum, etc. amplissima collectione, tomo VI producitur fundatio monasterii B. Mariæ de Altaripa, ordinis Cisterciensis, filiæ Chariloci, lineæ Claravallis, et col. 317, ponitur inter reliquias sacras præcipuas ejusdem cœnobii, *estola sanctissimi P. N. Bernardi ex grossiori panno coloris grisei obscuri, qua sanctus hic Pater sacrarium nostrum decoravit, dum eundo et redeundo ex Germania, per hoc monasterium transiret.* In libello reliquiarum, quæ Aquisgrani asservantur, anno 1734, ibidem typis edito inter ornamenta ecclesiæ virginis Matris, pag. 46, ponitur casula, quæ more Græcorum facta, et ex serico cæruleo terso ac denso contexta est, ac eidem appicta cruce ex margaritis. Hanc casulam mellifluus doctor *Bernardus* in ista ecclesia ad sacrificium missæ adhibuisse anno 1146, ac post illud dedisse visum cæcis quatuor, et paralytico uni gressum, in eodem libello dicitur.

CAPUT II.

Variæ S. Bernardi apparitiones ac prædictiones.

§ 1. Apparet monacho Cisterciensi; et converso, quem consolatus prosperum negotiorum successum ei prænuntiat.

13. In Commentario prævio § 52, retuli varias post viri sancti obitum apparitiones; de aliis me acturum dixi in Gloria ejus posthuma. Harum igitur primum hic obtineat locum illa, quæ exstat apud Tissierium in Exordio magno ordinis Cisterciensis, distinctione 3, cap. 14. Factum est autem in una die, cum prima cantaretur in choro, et ipse (videlicet Guillelmus, quem mox pluribus describam) conjunctus psallentibus stabat in ordine suo, vitulos laborum suorum in voce exultationis Domino reddens. Et, ecce, apparuit ei vigilanti atque psallenti S. Malachias, Hiberniensis quondam episcopus, qui in eadem basilica jacet honorifice tumulatus. Residebat vero in cathedra juxta altare, annulo, baculo, mitra, cæterisque pontificalibus ornamentis mirifice decoratus; tanquam missarum solemniam post finem illius hæc celebraturus. Erat autem tunc anniversaria dies depositionis ejusdem beatissimi præsulis: quæ etiam omnium fidelium defunctorum memoria est sollemnitas. Apparuit quoque cum eo B. Bernardus, ejusdem ecclesiæ felicissimus pastor atque patronus; qui et ipse erat, vestibus pretiosis et candidis micans, atque mitratus, minime tamen insulatus (4-5). Et merito quidem.

14. Erat enim paterfamilias in propria domo, deserens atque congratulans venerando ac speciali hospiti sua: dignoque honore præveniens amantissimum, cedebat ei libentissime solemniam missarum, ea potissimum die, qua sanctus ille pontifex curiam supernam ingressus, et cælestibus hymnis primo suerat honoratus. Unde etiam ipse beatus Pater officiosum ac sedulum sese circa eundem sanctum episcopum, et circa ipsius altaris ministerium, exhibuit. Porro beatus, antistes, baculo pastorali innixus, defixa lumina versus chorum assidue tenebat. Sanctus vero Bernardus modo episcopum, modo conventum, modo ipsum altare, tanquam sollicitus omnium, respiciebat. Hæc visio tam manifesta eidem famulo Dei vigilanti, et corporeis oculis lætenti, visibiliter apparuit, quandiu psalmus unus in eadem hora a conventu percantaretur. Finita itaque psalmo finita est visio, sed in corde videntis deinceps fieri non potuit visionis illius pia devotio. Hactenus Exordium magnum de una sancti Patris apparitione. Alia, quæ ibidem mox sequitur, his verbis conscripta est, et eidem Guillelmo exhibita.

15. Altero quoque die apparuit ei nihilominus idem beatus Bernardus, vultu et habitu gloriosus. Quem

(4-5) Mitratus et insulatus nonne passim sunt synonyma? Quomodo igitur hic distinguuntur? Suspicio scriptorem indicare voluisse, S. Malachiam apparuisse tectum mitra, e qua deorsum vittæ utrimque pependissent; Bernardum vero mitra sine istis

cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, orans ei vultus aliquid ab eo. Cui Sanctus ait: Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine mi pater, si inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi, utrum salvus fieri debeam. Et Sanctus ad eum: Nunquid parva res est ista, quam postulas? Hodie cum egrederer de paradiso, quam multa millia hominum foris ad januam reliqui, qui utique istius modi timore torquentur: ignorantes utique, utrum amore, an odio digni habeantur. His itaque præmissis, dedit ei responsum super verbo, quod imploraverat. Sed quid ei definite responderit, incertum est nobis: quia vanæ gloriæ pestem vitans, hoc nobis indicare noluit. Erat enim vir ille circumspectus, et gravis in locutione, multumque cavebat, ne quid diceret, quod suam ipsius gloriam redoleret. Veruntamen ex fiducia sermonis, et vultus illius hilaritate, satis dabatur intelligi, quia jucundum a sancto Patre super tali verbo responsum acceperit.

16. Iste est Guillelmus, quem supra (distinctione 2, cap. 22), memoravimus, spiritum fornicationis in specie phantasticæ meretricis vidiisse infirmiterum curiose circumvenientem, et ex iis, quæ ab ea audierat et viderat, D. Roberto, abbati Clarævallensis, apostasiam duorum adolescentium prædixisse: quod etiam verum fuisse, sæda eorum fuga incontinenti subsecuta demonstravit. Porro Guillelmus iste, priusquam Cisterciensium ordini se contulisset, multo tempore vixit in monasterio Sancti Albini Andegavensis, ut dicitur in principio citati capituli 14, in quo plura alia de eodem legi possunt. In Menologio Cisterciensi apud Manriquez refertur cum titulo beati ad diem 19 Novembris, et vocatur S. Bernardi discipulus. De duabus autem, quæ modo sunt datæ, apparitionibus, legi potest Herbertus lib. 1 de Miraculis, cap. 4.

17. Laudatum Exordium distinctione 4, cap. 33 aliam commemorat apparitionem: Erat, inquit, in Claravalle conversus quidam religiosus, nomine Laurentius... vir... spiritualis et devotus in omni conversatione sua, orationi atque compunctioni mirabili pertinacia jugiter insistens: ita ut per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachie corpora in secretario diu noctuque servaret, vix unquam aliqua hora posset ibidem aliter inveniri, nisi semper orationi incumbens, et diuturnis fetibus pavementum rigans... Post transitum autem B. Bernardi contigit, ut idem frater a domno Philippo, venerabili Clarævallensis priore, ad regem Siciliæ Rogerum mitteretur, pro negotiis ejusdem ecclesiæ. Qui cum Romam fuisset ingressus, comperto, quod idem rex nuperrime mortuus fuisset, consternatus est animo: et quid in

vittis. Sunt enim, qui ad inferos vel infra, vocera insulæ derivari putarunt, propter vitas. quæ inferius ex ea pendunt; sicut indicatur in Etymologico lingue Latinæ apud Vossium.

tali articulo facere deberet, prorsus ignorabat. Et recordatus sancti patris sui Bernardi, sub quo pro diversis negotiis frequenter missus prospereibat et redibat, cum gemitu et lacrymis multis conversus ad orationem, eundem sanctum Dei invocabat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus, ut quid dereliquisti nos? Hæc me, Pater sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus et misellus, ego omni consilio et auxilio destitutus?

18. Te vivente, et te jubente securus procedebam ad terras et ad nationes diversas, et ubique recipiebar ob gratiam tui, nimirum deferens salutationes et litteras tuas, quas reges et præsules cum cæteris omnibus tanquam cælitus missam benedictionem suscipiebant, et eulogiis tuis nobiliores quique se nobilitari gaudebant. Nunc autem, te defuncto, defuncta est tecum pariter et gratia mea: nec erit jam, qui peregrino et inopi manum porrigat adjutorii. Et, ecce, mortuus est rex, qui te sincero diligebat affectu: surrexitque filius pro eo, puer qui te forsitan ignorat. Quem adhuc jam longe remotum si adire voluero, et repulsam ab eo pati contigerit, inconsolabilis mihi erit dolor, post tanti laboris et longissimi itineris defatigationem, infecto redire negotio: qui, te vivente, bonis omnibus cumulatus in Claramvallem tuam redire solebam.

19. Si vero incontinenti reversus negotium intentatum reliquero, torporis et insipientiæ argui peritimesco. Porrigere precor, auxilium, præbe consilium indigenti: et ne despicias gemitum servuli miserandi. Eadem itaque nocte apparuit ei idem beatissimus Pater, et magnifice consolatus est eum, dicens: Quid tibi visum est, frater, ita de Dei misericordia et mea interventionem diffidere? Quando enim, vel ubi sensisti desuisse tibi adminiculum meum in necessitatibus tuis? An forte impotentior me modo autumas, quando jam introductus sum in potentias Domini, quam olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo securus, quia prospera cuncta evenient: et in hoc ipso scies, quis ego te miserim. Hæc et alia plurima sancto loquente, frater ille præ nimio pietatis ardore totus in anima liquebat: et corde ejus immensam parturiente lætissimam, foris quoque devotionis lacrymæ erumpebant.

20. Cumque evigilasset, madentibus oculis atque maxillis, etiam pulvillum, in quo caput reclinarat, eodem lacrymarum profusio undique perfusum esse cognovit. Summo igitur mane iter arripiens, cum de urbe fuisset egressus, reperit cuneum institorum, mercimonii gratia Siciliam advenitum. Qui cognoscentes eum esse de Claramvalle, mox eum in suo conductu atque convictu gratanti animo receperunt, et quæque necessaria gratis quotidie ministrabant. Tandem ingressus ad regem Siciliæ, invenit gratiam magnam in oculis ejus. Et non solum de negotio, pro quo fuerat ad patrem destinatus, prosperum eventum obtinuit: verum etiam rex, apertis thesauris suis ad ædificationem novæ basilicæ Claramvallis, pro ejusdem patris sui ani-

ma non modicam auri summam per eundem fratrem magna devotione transmisit.

21. Reversus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus ibidem gratiam reperit, ut de donariis cardinalium, aliorumque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem, ita ut etiam, largientibus vis, ex Urbe usque ad decem bubalos educeret: quos non sine ingenti omnium stupore, Deo se protegente, sanctique Patris sui meritis patrocinantibus, Claramvallem usque perduxit. Factum est autem, ut transire cogereetur per quoddam municipium, cujus principatum latronum principes obtinebant; quorum manus nullus immunis evadere poterat, nisi forte qui viribus prævalebat. Mane vero jam rutilante aurora, cum de aliquo prato, in qua cum animalibus pernoctarat, egredereetur, rogavit attentius Dominum, sanctumque Bernardum, ut ab imminente periculo erueretur. Et, ecce, apparuerunt ei procul quasi duo viri obviam venientes, et singulos cerceos accensus in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquantes, cum jam pene ad ipsum pervenissent, subito ab oculis ejus evanuerunt, multamque fiduciam evadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque istum diaboli nidum, illic sistitur, atque ad prædam diripiendam undique accurritur. Nuda vero Dei supervenientes eadem hora quidam honesti viri, cum eum Claramvallensem esse cognovissent, de manibus irruentium liberarunt, et cum cuncta omnibus abire fecerunt, etc.

22. Quenam sint gesta Bernardum inter ac Rogerium supra memoratum, narrat noster Commentarius prævius § 27. Verum, quæ modo relata sunt de itinere, quod Laurentius suscepit, ut cum eodem Rogerio ageret, non solentur cum chronologia. Nam in sententia Baronii, qui mortem Rogerii affigit anno Christi 1152, quomodo fieri potuit, ut S. Bernardus isti fratri religioso appareret tanquam vita functus, qui anno proximo duntaxat fuit mortuus? Quomodo item conversus ille per plurimos annos, cum sanctorum confessorum Bernardi et Malachie corpora in secretario diu nocturne servaret? etc. Si autem cum Pagio Rogerii mortem differas ad annum 1154, ubi num. 4, de eadem ex professo tractat; sic quidem tollitur difficultas prima; sed manet secunda. Hinc tamen non sequitur, ut superioris apparitionis historia sit falsa: cui medela affertur, si rō per plures annos expungas, quæ circumstantia intrudi huic facile potuit: ab incauto aliquo, vel imperito descriptore aut interpolatore. Quod attinet ad ædificationem novæ basilicæ Claramvallis, de qua supra; tomo IV Galliæ Christianæ, col. 129, in Guichardo archiepiscopo Lugdunensi, hæc de eo exstant: Præsens fuit ecclesiæ Claramvallensis dedicationi anno 1174. Sed de illius dedicationis anno videri etiam potest noster Commentarius prævius § 64, num. 676.

§ II. Duobus monachis Claramvallensibus apparet, et eorum apostasiam impedit; adolescentulum quendam in proposito monastico confirmat; incendium comprimit; morti proximo se videndam præbet; et alteri ægroto.

25. Herbertus lib. 1, cap. 28, narrat monachum Cla-

ravallensem, qui a proposito resillire cogitabat, visis A per quietem S. Malachia et S. Bernardo, cujus baculo contundebatur, ad sanam mentem rediisse. Proferamus Herberti verba : *Quidam de fratribus Claravallensibus, cum instinctu diabolico in mente corruptus esset, ut jam ad sæculum apostatare dispo-* *neret, vidit in visu noctis B. Bernardum sanctumque Malachiam in dormitorio deambulantes, et eos, qui ibi pausabant, visitando benedictentes. Qui cum in ordine visitationis, ad ejus lectulum devenissent, ait sanctus Malachias, Homo iste perversus nihil omnino boni in corde versat ; sed diabolo suadenti jam dedit assensum, ut ad vomitum sæculi proxime revertatur. Quo audito, B. Bernardus dixit ei : Tu ergo fugere queris ? Et quo fugies, miser, a facie Domini ? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitasti. Neque enim del-* *etabit te amplius fuga, quando jam evaseris de manu mea.*

24. Et his dictis, cepit eum crebris ictibus tunde- *re baculo, quem tenebat, et ait : Ecce stipendia quæ mereris. Surge nunc, et fuge, si poteris. Evigilans itaque frater, invenit se tuncionibus illis ita dolentem atque contractum, ut in infirmitorium ductus, lecto detineretur. Qui, accersito priore, confessus est maliitiam quam intenderat, et pœnam, quam inde pertulerat : acceptaque penitentia perfecte resipuit, non apprehendit eum ultra desiderium fugiendi. » Ibidem cap. 31, consimilis argumenti apparitio refertur in hæc verba :*

25. Alius quidam ejusdem cœnobii frater, vir honestus et religiosus, mihi de seipso narravit, cum ver- *cundia tamen, quod scilicet in primordio conversionis, cum anxie stimularetur a spiritu fornicationis, deliberavit animo cedere tentatori, et, projecto religionis habitu, ad sæculum reverti. Qui dum jam opportunitatem recedendi sollicitè aucuparetur, astitit ei per visionem B. Bernardus, paulo ante defunctus ; increpans illius socordiam, et arguens super iniquitate, quam mente conceperat, et actu perficere satagebat. Cui cum ille respondisset sese diutius reluctantasse [immo reluctatum esse], et jam tentationis violentiam ferre non posse, ait sanctus ad illum : Scito prænoscent, quoniam adhuc multa certamina te manent. Sed age viriliter, et noli deficere : quia Dominus aderit tibi, tanquam adjutor in opportunitatibus, ut eruat te.*

26. Unde polliceor tibi, quod, si in ordine usque in *finem perseveraveris, salvus eris. Quod si forsitan aliquis tibi nocere tentaverit, in die novissimo ego respondebo pro te, et animam meam pro anima tua ponam. Hac ergo pollicitatione frater ille corroboratus, deinceps a stabilitate sua moveri non potuit : qui etiam nunc in ordine complens annum quinquagesimum, viriliter usque hodie decertat, multaque victoria jam protinus, salutem repromissam certius opperitur.*

27. Idem auctor lib. II, cap. 9, agens de quodam *adolescensculo Alemanno, qui in Claravalle ad vitam monasticam mirabiliter conversus, egregia sanctitate, et divinis manifestationibus claruit, factum re-*

fert in rem nostram, quod vivente sancto Patre accidit. Excerpo sequentia : Egregius quidam adolescentulus de partibus Alemanniæ oriundus, studiorum gratia, comitante didascalo suo, Parisius adibat. Qui cum transitum haberet per domum Claravallensem, magister ille videns loci conventum et ordinem, nescio quo Dei judicio compunctus ad horam, petit et obtinuit, ut susciperetur ad conversionem. Cumque rogaret adolescentulum ut secum remaneret, penitus non acquiescit : multum siquidem abhorrebat a consortio, etiam et colloquio Cisterciensium monachorum ; sæpiusque rogaverat Dominum, nunquam sibi dari ad ordinem illum velle converti. Proinde roganti magistro et fratribus monasterii adhortantibus eum, dura cervice resistens, nullis prædicationum machinis poterat espugnari. Eadem igitur nocte, dum eorum monita mente revolveret, facta est vox divinitus ad eum, dicens : Si hinc recesseris, et Parisius veneris, usque ad Pentecosten morieris, et sine dubio morieris. Ad hanc itaque vocem juvenculus ille multum obstupuit : necdum tamen potuit duritia cordis illius emolli-

28. Porro sequenti nocte, cum sopori membra *dississet, videbatur sibi esse demersus in limo putei profundi. Cumque desperatus ibidem jaceret, subito apparuit desuper ad horam [oram] putei beatus Joannes Evangelista, in vultu et habitu beati Bernardi, cum alio quodam sancto, cujus nomen excidit mihi : qui et ipse similitimus erat cuidam religiosissimo viro, nomine Gerardo, portario Clarevallensi. Quos cum ille vidisset, rogabat obnixius ut sui misererentur. Cui B. Joannes respondit : Tu sano consilio acquiescere contemnens, opem flagitas a nobis ? Cumque ille promitteret se facturum quidquid ei placeret ; Vis ergo, inquit, fieri monachus in monasterio Clarevallensi ? Etiam, domine mi ; libentissime volo. Quod cum firmiter pollicitus esset, sese citius impleturum, protinus eductum de profundo liberum abire permis-*

29. Mane igitur facto, postulavit præsentari *quantocius B. Bernardo, quem cum antea non vidisset, continuo illum in vultu et habitu deprehendit, ipsum esse pro certo recognoscens, quem in nocte transacta, sub conditione convertendi, liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer atque compunctus, protinus eidem sancto viro se reddidit, a quo benigne receptus, mox in ætate teneriori, gravitatis et sapientiæ canos, cunctis mirantibus induit. Alia, quæ ibidem de illo exstant, manifestationum charismata, non sunt hujus loci. Ad majorem tamen historiz, quam modo referebamus, fidem conducit allegati capituli clausula, qua Herbertus rem confirmat : Hæc, inquit, omnia, quæ superius retuli, aliaque quamplurima, quæ licet magna existimem, tamen brevitate amore relicui, ab eodem Dei famulo arcana relatione cognovi : ea videlicet conditione, ut usque ad obitum ejus, apud me secreta tenerentur. Sed quia jam, exante se Domino, expletis in ordine annis 26 quam sinceriter rixit, tam feliciter obiit, ego solutus a modo*

polliciti hujus, præfatas revelationes; in quibus non modice consolatum fuisse me memini, ad aliorum æque solamen præsentis paginæ intuli.

30. Apud Manricum tomo IV Annalium Cisterciensium in Appendice, inter ea quæ pag. 659, num. 13, exstant ad annum 1592, habetur sequens apparitio. Mense Augusto, in die Parentis Bernardi, saltus novalis miserabiliter conflagravit, præsentibus abbate, et majori parte conventus sancti Petri de Eslonza Benedictinis, qui venerant cum nostris, sancti Patris solemnia celebraturi. Vulgavit fama apparuisse cuinam ex ipsis utrumque Parentem, nimirum Benedictum, Bernardumque, atque flammæ grassantes compressisse, ne ultra procederent: cum, aere in contrarium impellente, nihil non absumpturæ timeri possent. Nota, quod saltus novalis in ista Appendice pag. 602, num. 18, in regno Legionensi, diocesisque signetur.

31. Herbertus lib. II, cap. 29, mira quædam narrat de Gérardo de Farfa, admirandæ pietatis, et sanctitatis eximie senæ; quibus subdit ista: Huic autem viro jam posito in extremis beatus Bernardus angelico vultu et vestibus albis decoratus apparuit, in ea tamen constantia et habitu corpore, qua ante obitum fuit. Quæ cum ille inspiceret ad se ingredientem, et veteranos ac venerandos artus baculo sustentantem, manu ac voce, qua poterat, suis servitibus innuit, ut Sancto venienti assurgerent, et locum sedendi citius præpararent. Illis vero mirantibus ac quærentibus de quonam sancto ille loqueretur, premente se ægritudine non poterat respondere. Postmodum vero recepta virtute loquendi, cum idipsum denuo sciscitarentur, confessus est se vidisse beatum Bernardum blando ipsum alloquio consolantem. Qui cum benedixisset eum, benedixit etiam totam domum, subjungens hæc eadem verba, et dicens: Hæc est domus mea, quam ædificavi. Dominus custodiat eam in æternum, et in sæculum sæculi. De Gaufrido Sorensi episcopo, qui, dum gravi æque a medicis desperata gutturis molestia laborabat, a viro sancto sibi apparente sanatus est, legi potest Herbertus lib. III, cap. 10.

§ III. Tribus vicibus se manifestat cuidam fratri; apparet item B. Mariæ Ogniacensi; alteri prædicit celestem gloriam; Ascelinæ mortem; mira libri miraculorum inventio, ac monachi litteratura.

32. Prædictis apparitionibus addi possunt alie tres, quæ narrantur in Exordio magno Cisterciensi, distinctione 4, cap. 7, his verbis: Frater quidam de Ordine Regularium canonicorum, cum esset proficendi avidus atque charismatum meliorum æmulator, desiderabat desiderio magno beati Bernardi magisterio subjici, et Claramvalleis collegio sociari, licet hoc, ipso sancto Patre vivente, consequi minime potuerit. Quo decedente, audita fama pretiosæ mortis ejus, consternatus est animo vehementer, miserum se atque indignum clamitans, quod voti sui compos fieri non meruisset. Post autem paucos dies apparuit ei in visu idem venerabilis Pater,

A quasi strenuus operator, præcinctus ad laborandum in agro latissimo, in quo manipuli triticeæ messis innumerabiles esse videbantur, ex quibus multitudinem magnam in acervum grandem congesserat: reliquis vero, qui supererat, qui etiam multo plures erant, comportandis et coæcervandis pertinaciter insistebat. Quod cum vidisset, intellexit illico, congruam illam manipulorum figuram tenere multitudinis fratrum, quam idem egregius prædicator, quandiu vixit in carne, Christo Domino aggregarat: adhuc autem restare innumeros, qui ejus meritis et exemplis ad salvationis gratiam essent perducendi. Unde multum exultans, seque unum ex illis fore non desperans, Claramvallem, quam citius potuit, adiit, postulans et impetrans se ad probationem admitti.

B 33. Hac itaque sancti viri apparitione frater ille ad tirocinium Claramvalleis vocatus est: quem vero favorem in eodem acceperit ab eodem sancto, pandit altera illius apparitio, fratri isti facta: Qui dum ibidem novitius esset, et beati viri memoriam pene incessanter atque insatiabiliter animo volveret; quadam die Dominica circa finem vigiliarium fatigato illi, et modis pluribus afflicto, cepit obrepere sopor. Et ecce apparuit ei reverendissimus Pater, cujus amore flagrabat, dignanter alloquens eum, et monens de dirigenda ad Deum jugiter intentione, cum quotidiana lacrymarum effusione. Quod si faceret, divinam miserationem, et suam ipsius visitationem securus expectaret. Et cum ista dixisset, recepit se in tumbam suam, quæ ibidem coram altari beatæ virginis Matris posita erat. Quæ videlicet receptio tam videns fuit, ut frater ille nesciret, utrum dormitans, an vigilans hoc vidisset.

C 34. Cumque aperuisset oculos, et piissimi Patris admonitionem dulci recordatione pensaret, subito iterum apparuit illi jam plene vigilantem, et corporeis oculis intuendum se obtulit. Stabat igitur cominus coram ipso, ita ut manu tangi facile posset: diligenter eum considerans, et quasi explorans, utrum dormiret an vigilet, more eorum, qui excitant ad vigiliis dormientes. Quem cum novitius stupidus et attonitus intueretur, protinus ille, qui videbatur, evanuit: et quod mirum dictum est, visum esse illi, quod quasi sensibiliter præcordiis ejus illapsus fuisset. Unde vehementer accensus in amorem Dei et ejusdem beatissimi viri, ad susceptionem novæ vitæ in gaudio et exultatione spirituali de die in diem instituebatur. Denique sequenti nocte cum vigiliis fratrum similiter interesset, talem ac tantam divinæ visitationis gratiam ibidem expertus est, qualem ac quantam in vita sua nunquam antea senserat; quod totum utique meritis ejus, quem diligebat, se obtinuisse gratulatus est. Cumque per dies plurimos memoriam abundantis suavitatis hujus recolendo frequentius eructaret, fundebat ubertim dulces et piæ lacrymas, quibus die noctuque satiari non poterat. Hactenus Exordium magnum Cisterciense; quod de laudati fratris, vestigiis S. Bernardi jugiter insistentis, vita ac morto etiam agit.

35. Narrat Jacobus de Vitriaco, scriptor Vitis A. *gerent, supradictus monachus, oblitone subripiente, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit.*

35. Narrat Jacobus de Vitriaco, scriptor Vitis A. *gerent, supradictus monachus, oblitone subripiente, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit.*

36. Herbertus in libris de Miraculis, lib. II, cap. 28, refert sequentem viri sancti apparitionem: *Defunctus est ibi (actum erat antea de abbacia Domus Dei, Alia Clara Vallensi) monachus, etate quidem juvenis, sed religionis maturitate proventus: de quo etiam asserunt, quod florem virginittatis usque ad mortem, Domino largiente, servaverit. Hic vero spe mirabili confortatus, ita cupiebat dissolvi, et cum Christo esse, ut nihil timere videretur, nisi adhuc a morte differri, et in corpore remanere, multumque doleret, si aliquis ei comneatum vel promitteret, vel optaret. In ipsa vero die migrationis suæ apparuit ei beatus Bernardus cum supradicto F. [id est Franco], qui dixit ad eum: Frater Bernarde (sic enim juvenis vocabatur), ecce, adduco tibi sanctum Patrem nostrum Bernardum, ut te in manibus illius reddam. Beatus vero Pater clementi dextera suscipiens eum, ait illi: Hodie tecum eris in paradiso. Et his dictis evanuerunt. Tunc monachus ille, quæ viderat et audierat, fratribus indicavit, atque subjunxit: Si usque in crastinum vixero, non sum vera locutus: quod si hodie migravero, fidem faciat dictis ipsa migratio. Defunctus est itaque frater in ipsa die, ut perficeretur in eo omnia quæ dicta fuerant illi a sancto Patre. Historiographus Cisterciensis ad annum 1195, cap. 3, num. 7, virum sanctum transitus sui nocte apparuisse Ascelinæ, ac mortem ei suam denuntiasset commemorat. Porro Ascelina virgo in Gallia, S. P. Bernardi secundum sanguinem neptis, secundum spiritum discipula, cum titulo beatorum memorari ab Henriquez in Appendice Menologii Cisterciensis, diximus inter Prætermisios ad diem 18 Maii; cujus cultus examinari poterit ad diem 23 hujus mensis Augusti.*

37. Joannes Eremita, qui S. Bernardi vitam conscripsit, in epistola, quæ primo loco Vitæ eidem præfixa est, et apud Mabillonium recusa volumine II, mirabilem hanc refert apparitionem col. 1279. *Monachus quidam, venerandi abbatis verax dilector et sincerus, forte cum quodam laico fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-vallensi deambulabat, librum miraculorum sancti Patris tenens in manibus; exponens ea secundum idioma Romanæ linguæ, tam suæ, quam illius ædificationis causa. Contigit ergo eos, modicæ pausattonis gratia, consedere sub arbore piro, secus viam per quam quotidie vadunt et veniunt laborantes in hortis. Cumque non post modicum tempus consur-*

gerent, supradictus monachus, oblitone subripiente, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit.

38. Abiit itaque, et regularis disciplina studitis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, et quando perdidisset illum, nullam omnino spem recuperandi concipiens (tum quia propiam dimiserat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiam reperiretur, nihil amplius quam perditum valere crederetur), post aliquantum tempus ab illius inquisitione cessavit: imo etiam penitus desistere visus est; maxime tamen contritus, quod per negligentiam suam miraculorum sancti viri volumen amisisset.

39. In hunc modum transigens unum circiter mensem, cum post modicam per hortum deambulationem, sub arbore prædicta recedisset, non tamen proposito quærendi, vel spe recuperandi quod perdidit, miro et inaudito modo librum, tanquam ab aliquo conservatum, et tunc de recenti, et ex industria juxta se positum, subito in medium proferri miratus est. Et ut mirabilius esse credatur, quod contigit, tam charta, quam scriptura adeo sana et incorrupta permanserat (nisi quod paucis guttis exterius operimentum respersi videbatur), ac si cum cæteris libris in bibliotheca liber idem suis repositus. Quid super hoc audientibus visum fuerit, nescio: ego autem pro parte mea asseverare non dubito, rem talem, tamque insolitam, nequaquam sine miraculo contigisse, quod siquidem beati viri meritis adscribere et ratio persuadet, et veritas compellit.

40. Nocturni temporis silentio, cum post satisfactionem diurni laboris, modica repausatione gratia recubasset in lectulo, apparuit ei vigilans vir venerabilis, amictus stola nivea, et statura mediocri, etate grandævus, crine candido, angelica facie reverendus. Is in manibus suis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad fratrem supra memoratum, porrexit ei utrumque, dicens: Accipe, vide, et lege. Qui repentinæ visionis horrore (sicut fieri solet) attonitus, securitatem tamen ea affatu benigno, aspectu tranquillo, vultu quoque angelico sumens, respondit. *Domine Pater, nescio litteras. Simplex et illiteratus quomodo legam? Ac ille: Fili, noti timere. Ecce Dominus tecum est, et docebit te, et, me intercedente, bene erit tibi. Hujusmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit et legit; mirans et obstupescens in semetipso, quonam modo id fieret. Persona deinceps assistens, quasi alterum volumen secum deferens, alteram fratri relinquens, vale faciens ei data benedictione disparuit.*

41. Quid igitur? Mirabile quidem dictum est quod dicemus. Quid enim mirabili hoc mirabilius? Fratrem nocturnus omnes quotquot sumus: laicus quidem erat paulo ante, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, et quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad hoc profectus, ut

nō solum legere, verum etiam cantare satis decen-
ter et convenienter sciret. Exinde tam usu, quam
gratia cooperante, dictionum significationes aliquan-
tum intelligere cepit, et in hujusmodi scientia pau-
latim proficere. Visionem itaque supradictam scri-
psit in spe adjutorii divini, et subventionis beati
viri, quem credimus ei apparuisse. Nonnulla miracu-
lorum ipsius, quæ vel scriptoribus ignota, vel per
negligentiam fuerant prætermissa, tam decen-
ter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut sub-
inde rapti in admirationem, dicamus cum propheta
David: A Domino factum est illud? et est mirabile
in oculis nostris. Quis ergo neget, hoc miraculose
factum esse? Quod apertius, quod evidentius mira-
culum? Ascribimus igitur in primis gratiæ Dei;
illud attribuimus deinde meritis sancti, assignamus
denique fidei et obedientiæ fratris.

§ IV. Aliquot viri sancti vaticinia.

42. Tametsi in nostro commentario prævio ad S.
Bernardi Vitam, ac in Vita ipsa contineantur tot et
tanta vaticinia, quibus liquidissime probatur, virum
sanctum, præter alias eximias prærogativas in hoc
genere summum mereri nomen: non ita tamen
hæc materia ibidem exhausta est, ut non supersint
exempla nonnulla, quorum notitia lectorem meum
privari nolim. In Itinere litterario, de quo superius
cap. 1. num. 9, actum fuit, parte 2, p. 201, narra-
tur sancti abbatis nostri prophetia qua, dum Villa-
rium venisset, ut ibidem monasterium fundaret, et
in monte esset (monasterium quippe duos inter
montes situm est) baculum suum plantasse dicitur
in terra, et prænuntiasset: *In hoc loco salvabuntur
multorum animæ*: baculum vero illum, jacta radice
excrevisse in arborem quæ superstes fuerit in an-
num usque 1697, eodemque tempore, quo Thomas
abbas, emortuam esse. Quæ res materiem dedit qua-
tor hinc pangendis versibus:

Villaria quondam tellure recondita phœnis

Emorior pariter, commoriente Thoma.

Quinque et dimidium lustravi sæcula et annum

Quo Bernardi me dextera sacra seviit [s. serii].

43. Vir sanctus tironi cuidam prænuntiasset diem
mortis perhibetur in Exordio magno ordinis Cister-
ciensis distinctione 2, cap. 12. Invenitur etiam in
gestis hujus beati viri, quod adhuc in carne degens
novitio cuidam in Claravalle graviter ægrotanti, cum
multitudine monachorum in spiritu apparuit, prædi-
cens ei quod quinta die foret moriturus: et quod in
ipsa quinta die, sole jam ad occasum vergente, visi-
lans eum, jussit considerare et nihil timere: sed recto
protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum Chri-
stum, et offerre ei humilem suæ Claravallensis fa-
milie salutationem. Ad quam vocem novitius, qua
potuit capitis inclinatione, et motu annuens labio-

rum, clausis oculis eadem hora obdormivit in Domino.
Et sane observatu digna sunt, quæ memorantur
ibidem in eodem Exordio cap. 14, de tironibus qui-
busdam, ad abbatialem dignitatem, ne vel uno qui-
dem eorum excepto, sicut prædixerat sanctus Pater,
evectis. Factum audi.

44. Ad benedictionem hujus sancti Patris quidam
aliquando novitii ejus, veterem hominem cum acti-
bus suis exuentes, novum, qui secundum Deum crea-
tus est in justitia et sanctitate veritatis induerunt:
de quibus vir beatus, in spiritu Dei loquens, prædixit,
omnes eos gratiam spiritualis dignitatis adepturos,
et nomen et officium abbatis sortituros. Cumque, suc-
cedentibus annis, temporibus opportunis, in singulis
eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur;
unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suetia ad do-
mum Novævallis abbas sanctus direxerat, post obi-
tum ipsius per annos quamplures usque ad senectam,
imo pene decrepitam ætatem, absque hoc munere
gratiæ vixit, eo quod simplicioris esset naturæ, et ad
tantum officium administrandum minus idoneus exi-
stimaretur. Sed quid? Numquid vel in extremis fini-
bus mundi latens, vel gravioris ætatis incommoda
sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere po-
tuit, quo minus impletur de eo, quod per eos pro-
phetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto ante præ-
dixerat?

45. Denique post tanti temporis spatium, cum
jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc colum-
binæ simplicitatis homine Pater reverendissimus præ-
dixerat, accidit, ut fratres de quadam domo Novæ-
vallis in insula, quæ Godandia [Gotlandia] dicitur,
sita, destituti pastore, secundum generalem consue-
tudinem ordinis, ad matrem suam recurrerent, qua-
tenus per providentiam et sollicitudinem patris abba-
tis, domus ipsorum dignus dispensator constitueretur.
Et, volente Domino, sine cuius nutu nec folium
arboris, nec unus passer in terram cadit, tam patri
abbati, quam cæteris, qui electioni intererant, pla-
cuit, prædictum senem in hanc partem sollicitudinis
assumere, ut tanto fiducialius de pietate Dei, san-
ctissimique Patris sui meritis consideret, quanto hu-
milis de sua insufficientia diffideret. Quod ubi fa-
ctum est, et verbum, quod olim sanctus prædixerat,
ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est;
mirati sunt universi, qui audierunt dicentes, promo-
tionem tam senis et simplicis hominis, ad hoc tantum
divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus,
quæ per spiritum prophetiæ locutus est homo Dei, unum
saltem iota, vel unus apex incassum prolata videren-
tur.

De laudato Petro agitur apud nos in Prætermissis
ad diem 10 Junii. Gotlandia autem insula in mari
Baltico satis nota est, ita ut non indigeat ulteriore
explicatione.

CAPUT III.

Supplementum miraculorum.

§ I. *Variae corporis infirmitates sanatae; praefixus moribundo terminus mortis; miraculum perperam S. Bernardo Claravallensi attributum; epilepticus cur non omnino curatus; mortuus ad vitam revocatus.*

46. Chrysostomus Henriquez, in Fasciculo sanctorum ordinis Cisterc., lib. 1, dist. 4, cap. 51: *Non multis, ait, elapsis annis post obitum pii Patris, Gundisalvus abbas Morerolæ, quod est cœnobium ordinis Cisterciensis in Legionensi regno, podagra oppressus, viâ doloris acerbiter sustinere valebat. Summa tamen reverentia et devotione partem aliquam habitus S. Bernardi, quæ in eodem monasterio inter cæteras reliquias servabatur, membris languentibus applicavit, et subito dolor omnis discessit, et integram obtinuit sanitatem. Snerus, abbas Nucalensis, in Hispania, spina piscis, quam incaute deglutierat, et fere strangulatus, et tandem, ingravescente morbo, jam in extremis constitutus, et a medicis derelictus, lecto jacebat. Tunc prior Morerolæ corrigia qua præcingebatur, quamque devotionis causa sepulcro sancti abbatis Bernardi, cum Claramvallem visitasset, imposuerat, guttur inflatam infirmi abbatis tetigit, et statim spina descendit, et ab omni prorsus infirmitatis incommodo liberatus fuit, ac proinde a periculo mortis. Narrat hæc duo miracula Bernardus Britto, lib. III, cap. 29.*

47. Mirabilia prorsus sunt, quæ in commentario prævio § 49, narravimus de prodigioso fonte. His vero, quæ ibidem de illo legenda præmisimus, adjunge sequentia ex Joanne Eremita apud Mabilonium, col. 1290. *Fuit vir quidam religiosus, Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is post mortem beati viri ad eundem fontem perrexit. Cumque eo infirmitatis locum perfudisset, sanus et incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, et omnino sensu privatus, fonte irrigatus sanatus est. Alius per septennium languerat, qui a parentibus ad sanctum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam, Suynus nomine, longe tempore febre quartana laboraverat, qui potus fontis ejusdem sanitatem recepit. Quidam vero maxima infirmitate gravatus, cum gustasset de eadem aqua, vermiculus cuidam similis locustæ, per os illius, omnibus videntibus, egressus est, et statim convaluit. Mutus etiam, ut aiunt qui viderunt, ad fontem venit, et loquelam recepit. Hæc multa alia tam a nobis, quam ab aliis visa, quibus non credere impium est, ne forte narrationis prolixitate audientibus fastidium generetur, perstrinxisse sufficiat.*

48. Viri sancti miraculis etiam accenseri potest mandatum ejus singulare, quo obitus cujusdam monachi Claravallensis dissertur. Res gesta exstat apud Mabilonium inter excerpta e magno Exordio Cisterciensis ordinis, col. 1200, et apud Herbertum lib. 1

A De Miraculis, cap. 13, e quo eam transcribo: *Quidam de fratribus ejusdem loci, cœnobii videlicet Claravallensis, cum esset positus in extremis, ingressus ad eum visitandum B. Bernardus post Completorium, et videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, ait: Nosti, charissime frater, quia conventus noster modo fatigatus est de labore, et jam postmodum habet ad vigiliis surgere. Quod si te iterum [i. interim] obdormiente, oporteat illum suam interrumpere dormitionem, nimium vexabitur, et prægrandes vigiliis minus celebriter exsequetur. Ut ergo bene sit tibi, et longo vivas tempore super terram, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Christi præcipio, quod usque ad horam divini officii exspectes nos. Cui ille respondit: Faciam Domine, ut imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffrageris. Quid multa?*

B 49. Abiit Pater in dormitorium, et frater non obiit ante terminum constitutum. *Moxque, ut signum ad vigiliis pulsari cepit, pulsata est tabula, et ille decessit. Quod non modo de illo fratre, verum etiam de pluribus aliis pluries accidit ut uno, pluribus diebus protelaretur finis eorum ad ipsius Patris imperium et votum. Porro ut lector norit quid sibi velit pulsata est tabula, Manricus ad annum Christi 1141, cap. 4, num. 6, usitatissimum, ait, in omni Ecclesia olim, in Cisterciensi etiam hodie perseverat, significato decedentium exitu per crebros rancosque tabulæ ictus. Alia deinde subdit. Sed nos cætera magni nostri thaumaturgi prodigia prosequamur.*

C 50. Inter hæc perperam recensetur apud Mabilonium, col. 1109. *Mira sacerdotis concubinariæ, et monachi quondam Claravallensis, conversio quæ datur ex cod. Barbelliano ord. Cist. in diœc. Senonensi. Neque enim ullam in ista conversione partem habuit S. Bernardus noster; cæterum miram illam conversionem sancto abbati Claravallensi etiam tributam invenio apud Horstium lib. VII Vitæ, pag. 77, ex editione Parisiensi, quam allegat.*

D 51. Herbertus lib. II, cap. 20, rem miram memorizæ proditam reliquit de monacho, qui, dum laboraret morbo epileptico, per merita S. Bernardi obtinuit ut morbum præsentiens, lecto decumbere, et repentini casus elisionem vitare posset. Recito ejusdem Herberti textum: *Exiit aliquando Pater sanctus ad visitandum fratres suos metentes in agro. Qui quoniam infirmus erat, et pedes ire non poterat, perrexit in asello. Porro monachus quidam cum eo tunc ambulans atque asinum minans, cum ab olim pateretur caducum morbum, subito coram eo in ipso itinere corruit, et cepit ab eadem epilepsia graviter torqueri. Quo viso, vir sanctus condotuit ei; unde et deprecatus est pro eo Dominum, ut passio illa non apprehenderet amplius improvisum. Igitur æger ex eo tempore usque ad diem mortis, per viginti et eo am-*

plius annos, quibus postea supervixit, datum est ei, quod antea non habebat, quodque cæteris epilepticis vix aliquando contingit, quoties ex eodem morbo cadere debebat, per aliquantum temporis spatium præsentire, ita ut opportune posset lecto decumbere, et repentini casus elisionem jugiter præcavere.

52. Et quidem vir sanctus, qui hoc ei a Domino minus impetravit credimus, quia perfectam illi sanitatem obtinere potuisset, si salutem animæ ejus expedire cognosceret. Sed quoniam ille homo gravis moribus ad portandum, et duri admodum cordis erat, cui salvando et virga correctionis, et baculus consolationis semper necessaria videbantur; concessum est ei misericorditer, ut subitanei casus periculum præsciendo jugiter declinaret, et salutiferi morbi stimulo non careret.

§ II. Mortuus ad vitam revocatus.

Tisserius in Exordio magno ordinis Cisterciensis, distinctione 2, cap. 19, narrat miraculum, quod inter alia primæ notæ merito adnumerari debet. Factum audi, his verbis descriptum ibidem: Terram Jerosolymorum tempore quodam occupantibus Saracenis, beatus Bernardus, cujus animam christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat, circumquaque discurrens, ad ulciscendam Salvatoris injuriam, et ad expugnationem gentis incredulæ, turbas fidelium non verbis tantum, sed signis et virtutibus hortabatur. Accidit autem, eum in Alemanniam devenire, et egredientem die quodam de Fribure, oppido memorabili in partibus Brisgauriæ constituto, a quodam Henrico viro nobili, et adhuc juvenulo, ad quamdam mansionem ipsius, ubi erat, in vespera pernoctandum deduci, copiosa multitudine eum sequente.

53. Cum autem idem Henricus, accepto jam crucis signaculo, non equitare, sed pedes proposuisset incedere, donec, expensarum apparatu collecto, propositæ peregrinationis iter arriperet (6). Ascenso igitur equo, secutus est eum protinus abeuntem. Videns hoc et invidens quidam vir Belial, serviens ejusdem Henrici, homo totius pravitatis amator, et boni totius incredulus, in servum Dei ait: *Ite modo, et diabolus illum sequimini, et ipse vos diabolus apprehendat. A latere vero duæ mulierculæ venientes, inter se deportabant tertiam, pedum et quorundam membrorum destitutam officio et contractam: virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmæ, et balularum angustias, curationis optatæ remedio relevaret. Porro Henricus hanc intuens et misertus: Ægram, inquit, super collum equi mei mihi porrigite, et vos ad servum Domini properantes subsidium implorate.*

54. Præfatus ergo serviens ad hoc pietatis opus domini indignans et impatiens usquequaque, ipsum invectione arguit acriore, quasi ad incantatorem et maleficum, et mentium eversorem, esset miseram de-

(6) In notula marginali apud Tisserium dicitur sensus hoc loco esse imperfectus. Forte desiderantur illa, quæ proxime sequuntur in nostro apographo

A laturus. Cui Henricus: *Non, inquit, sed defero ut ad benedictionem viri Dei recuperet sospitatem: et ex certissima salutis ejus fiducia tibi polliceor, quod si eam non sanaverit, equum cui insideo tibi dabo. Verbum igitur hoc ille gratulanter et gratanter accipiens, tota diffidentia faciendæ virtutis risit pariter et irrisit, tam de curatione diffidens, quam de adeptione equi prægaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, et desideratam sibi benedictionem illius adeptam, illico surrexit incolumis, alieno jam, sicut hactenus, ministerio non gestanda.*

55. Viso hoc serviens scæpefatus in impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore, festinavit, et conversus in faciem viri Dei, quidquid nequius vel turpius, aspirante Satana, concepisset interius, in ipsum, toto conamine maledicens et convicians, jactabat. Verum, ultione Domini protinus occurrente, ipse retro corrui resupinus, et cervicæ collisæ spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore percussus Henricus, casum hunc lugubrem, et occasum nuntiavit abbati, supplicans, cum paululum processisset, ut ad tam triste spectaculum remearet. Dicente quoque eodem Henrico: *Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse, et contumeliosus, non timuit: Heu! inquit Dominus, ut propter me quispiam moriatur.*

56. Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit: et ad longitudinem unius Pater noster, super eum silenter oravit; et mox præcepit astantibus, illum erigere; qui erectus, utpote jam defunctus, caput carens cervicis suffragio quaquaversum agebat miserabili circumflexu. Rursusque ait: *Tenete, tenete firmiter ei caput. Demum appropians, et saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens, et consignans, In nomine Domini, ait surge. Et iterum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Deus tibi spiritum tuum reddat.*

57. Ille vero, recepto mox spiritu, factus est in animam viventem, vel potius reditivam: mirantibus præ gaudio, et in cælum voces ac laudes attollentibus universis, qui aderant et viderant tam manifeste quam miraculose mortuum revivisse. Interrogatus denique ab eodem sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum: *Domine, ait, modo quo juseris vivam, faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. Ab astantibus etiam requisitus, utrum esset jam mortuus, Mortuus, inquit, eram, et sententiam damnationis acceperam: ac nisi abbas sanctus festinasset accurrere, irrevocabiliter eram ad inferna ducendus. Ad exhortationem quoque quorundam astantium, crucis accepit signaculum, et cum cæteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo et beato Bernardo se reddidit, et in Claravalle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus Vite e Ms. S. Matthiæ: Sanctus abbas nihilominus in equo secum comitari præcepit.*

sancti Patris esse notissimum; deprehensò, tandem A fuisse silenter omissum, indoluit: et ad gloriam Dei et sancti sui, juxta quod præsentaneæ fuerat contemplatus, narravit: ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat et intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura. Hæc ibi: Historia ista etiam exstat apud Horstium ac Mabillonium, lib. vii Vitæ, cap. 19.

58. Habemus apographum, quod ex monasterii S. Matthiæ prope Treviros, post libros de Vita S. Bernardi desumptum notatur, cui etiam sequens præfigitur titulus: *Gloriosum miraculum a quodam monacho Claravallensi cum sequentibus conscriptum, quomodo S. Bernardus mortuum resuscitavit, quæ in Vita onissa sunt.* Quæ in isto egrapho sequuntur post hoc miraculum, prætermittimus; sed notamus superiorem historiam ibi etiam notatam esse. Miramur interim adeo illustre ac primæ classis miraculum non inveniri inter alia innumera, quæ summa cum fide ac diligentia scriptores omni exceptione majores annotarunt, ut supra vidimus, quando sanctum thaumaturgum, populos Germaniæ classico sacro cientem ad expeditionem orientalem, comitabantur, et quæ patrabat miracula, accuratissime observabant. Consoli interim possunt, quæ habentur in Commentario prævio § 40, n. 428, de mortuo ad vitam revocato per sanctum, in Germania prædicantem, ex libro *Miraculorum domni Herberti*: apud quem tamen in editione Chiffletii hoc miraculum non invenio; ac proinde non est mihi exploratum, idemne cum superiore, an aliud sit.

§ III. *Modus mirabilis, quo pater sancti Bernardi conversus dicitur, secundis curis expensus; plaustrum, fracto axe, longius promotum; caducus Humberti morbus sanatus; alter in Spiritu et in corpore adjutus, etc.*

59. Patrem S. Bernardi ad monasticum institutum, relicto sæculo, transiisse retulimus in commentario prævio, § 8. Modus autem mirus, quo illa res accidisse, ibidem narrabatur e Vincentio Bellovacensi, et ejus locum unum non convenire cum altero, observabatur; modus, inquam, mirus ille habebat aliquid, unde Manrico et mihi displiceret. Notabam etiam, quod nihil de eo scriptum reliquisset Guillelmus biographus. At modum hunc magis probabilem faciunt ea, quæ leguntur apud P. Jacobum Eckard in Scriptoribus ordinis Prædicatorum tomo I, pagg. 188 et 189, inter scripta F. Stephani de Borbone, vel de Bellavilla, qui floruit proximo post Bernardum sæculo, Christi decimo tertio. Quanquam autem in dicto Commentario prolati sunt loci duo ejusdem, qui supra, Vincentii de hac conversione, quorum uterque est fere consimilis ei, quem Stephanus memoratus de illa refert; ejusdem tamen Stephani narrationem, ut cum Vincentiana conferri possit, quia brevis est, hæc etiam transcribendam duxi. Stephanus itaque rem gestam, ejusque adjuncta sic memorat:

60 Audivi, inquit, quod, cum B. Bernardus

Claravallensis convertisset omnes fratres suos, et fasset eos monachos, solo patre magis indurato in sæculo manente, venit ad villam suam, et prædicans ibi juxta truncum antiquissimum in præsentia patris sui, cum videret ejus duritiam, præcepit hominibus qui in circuitu trunci sicca ligna apportaverant, ut ipse eis mandaverat, ignem succenderent: quo facto, ligna sicca cito succensa sunt, et truncus tarde circum medium, ab extremis emittens humorem fædum et sumum terriberrimum, diu ignem servavit. Tunc incepit sanctus loqui de pœnis inferni. Patri dixit, quod ipse esset similis illi trunco, qui non poterat igne divini succendi, nec flere peccata sua, nec suspirare ad Deum, sed ipse in inferno, nisi penitentiam ageret, in æternum arderet, fletet, et felentem fumum emitteret. Ad B quæ verba pater dictus compunctus, eum secutus est, et monachus factus est. Et ad majorem facti confirmationem subdit Sthephanus: *Hæc audivi in loco ipso, ubi prædicatio facta est, a D. Calons, domino de Fontanis pronepote B. Bernardi, in loco natiuitatis suæ, Fontanis dicto.*

61. In nostra apographo e ms. Aureavallis, de quo meminit commentarius prævius § 2, num. 24, et cujus exemplar, sicut colligo ex ejusdem principio ac decursu, idem illud est, vel simile cum eo, e quo desumpta sunt excerpta, quæ sub nomine Gaudfridi exstant apud Mabillonium; in nostro, inquam, apographo, auctore, prout eidem prænotatur, discipulo, Parisiis a S. Bernardo ad ordinem converso, res mira narratur in hunc modum: *Factum est in primis annis, messis tempore, venerabilis Bernardus loquens cum fratre quodam, sedebat in descensus nemoris, quod ministerio illi (actum erat proxime de Claravallensi) quod nunc est, in escelsio supereminet monte: ecce vero coram ipso fractum est plaustrum, quod oneratum manipulis fratres laici, bobus trahentibus, deducebant. Fractus est autem axis, ita ut vix transversus digiti spatia cohereret. Turbati itaque fratres conqueruntur abbati super gravi damno, quoniam manipulos jamjamque cadentes quomodo in grangiam possent deducere, non habebant. At ille, facto eminus signo crucis; in nomine, inquit, Domini, ite usque in aream. Erat autem grangia longius posita a loco isto ut vix posset abinde vox clamantis audiri. Cumque D in aream pervenisset carrus, tanquam completo jam obedientiæ ministerio, qui prius cadere prohibebatur, fracto axe, cecidit in ipsa hora. Quo facto valde consolati sunt fratres.*

62. In laudato mox ms. referuntur ista: *Illud quoque quod de viro reverendissimo Humberto, postmodum abbate Ignacum [fort ad Igniacum vel Igniacensi], factum est, non silebo: erat enim, cum ad Claravallensem venit, jam provectioris ætatis, et caduco morbo laborare solebat. Arreptus ergo scilicet in firmitate, sed multo acrius solito, una in die septies cecidit: ita ut in insaniam versus, dentibus appateret eos, a quibus tenebatur in lecto. Videns autem vir Domini, fidei zelo accensus: Quid agimus, inquit: curus ad orationem. Cumque ingressus oratorium in-*

clinasset se, sine mora penetrans cœlos oratio justi, A perfectè omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me, ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem, impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus! Gratias tibi! gratias tibi! Unde enim tali animæ, in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio Dei, de se, cum novitiuss esset, accidisse testatur: subita siquidem et vehementissima tentatione impulsus; paulominus cessit, cum venerabilis Bernardus, qui itinere diei unius aberat, hoc ipsum, Domino revelante, cognoscens, surgensque de nocte eadem hora festinavit ad consolandum eum.

63. Ignoscat mihi lector, quod hic subdam ex eodem ms. Aureævallis sanitatem animæ, quam auctor inter miracula a se relata, a S. Bernardo se accepisse ingenue et gratanter agnoscit, quando vir sanctus oculos ejus, in tenebris hujus sæculi, et quasi in umbra mortis sedentis illuminavit, et pedes ejus direxit in viam pacis. *Non debeo, inquit, qui de cæteris loquor, mei ipsius oblivisci, ne forte ingratus inveniar.* Deinde exposito insigni fructu, quem sanctus retulit in scholaribus Parisiensibus, ita de seipso loquitur idem auctor: *Sit benedicta dies illa a Domino, qua sedenti in tenebris, et umbra mortis, lux orta est mihi! Sit benedicta dies, qua sol justitiæ, imo misericordiæ Oriens visitavit ex alto miseram animam meam! Adversum et perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dexteræ Excelsi prorsus in aliam hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviscar miserationis hujus, qua tam copiose præventus, tam subito mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi vero in illa captura Dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi et in itinere adjuncti nobis, ita ut, transacto probationis anno, ex hoc collegio monachi facti simus viginti et unus.* Ex his supplentur et confirmantur ea, quæ in Commentario prævio § 10, præmissa sunt de captura apud Parisienses: deinde commendatur antiquitas et auctoritas scriptoris istius, e quo tam hæc, quam superiora, quæ modo ex eo recitabamus, sunt extracta.

64. Proxime subjungit idem scriptor, se ab eodem viro sancto curatum fuisse, dum infirmo erat corpore, et afflicta mente. *Eodem sane, ait, tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, capri corpore infirmari, et affligi mente (scio quia Satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum); sed non latuere Patrem, quæ circa me agebantur, et*

(7) Quam in Commentario prævio § 64, n. 718 promisi miraculorum synopsis, huc distuli. Rationes, quæ me moverunt, ut illam darem, ibidem exposui. Eiusdem exemplar ms. perhumaniter mecum communicavit Reverendus admodum ac amplissimus dominus Alexander Adriaenssens, celeberrimi cœnobii S. Bernardi in territorio Antuerpiensi ad Schaldim, abbas meritissimus. Synopsis porro hanc collegit R. A. D. Bernardus Timmermans, pastor in capella S. Jacobi, quondam superior, et novitiortum magister in ista abbacia. Citationes, quas designat, procedunt secundum ordinem anterioris editionis, libros quinque Vitæ, ac sextum, qui est de miraculis, comple. tentis, prout etiam fit in editione nostra;

PATROL. CLXXXV.

A perfectè omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me, ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem, impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus! Gratias tibi! gratias tibi! Unde enim tali animæ, in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio Dei, de se, cum novitiuss esset, accidisse testatur: subita siquidem et vehementissima tentatione impulsus; paulominus cessit, cum venerabilis Bernardus, qui itinere diei unius aberat, hoc ipsum, Domino revelante, cognoscens, surgensque de nocte eadem hora festinavit ad consolandum eum.

65. Alia nonnulla, quæ apud laudatum scriptorem lego, in compendium redigo. *In villa proxima Castellioni, sanguinis fluxum patiebatur homo per multos dies: quem sanctus, dum illac forte transibat, signavit, ac sanguinem stilit, videntibus atque stupentibus universis. Sequenti vero nocte malum rediit; at vir sanctus librum suum mitti ad eum, et ad caput ipsius deponi jussit, et convaluit. Hominem pauperem de Campania mulier adultera maleficiis appetens, ut dicebatur comminata fuisse ei, ita tractaverat, ut miser homo, consumptis carnibus, nec mori posset, nec virere permetteretur.... Hic cum ad Dei hominem esset adductus..., per duos fratres languentem hominem ante altare deportari jubet; et supposito capiti ejus vasculo, in quo corpus Christi continetur..., in brevi convaluit homo.* Potuisset intexi huic paragrapho conversio monachi, qui tertio defecerat ab ordine, monitis hac precibus S. P. Bernardi obtenta, nec non pœnitentia ejus, ac patientia in paterna Dei castigatione; de cujus felici consummatione, prout narratur locis statim allegandis, beatus Bernardus [Tissierius add. multum] hilaratus, sermonem devotissimum ad fratres in capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, et admirabilem patientiam ejus, omnibus proponens exemplum; sed quia hujus rei gestæ narratio satis longa est; legi ea potest apud Horstium, ac Mabillonium, lib. vii Vitæ S. Bernardi, cap. 25, apud Tissierium vero in Exordio magno ordinis Cisterciensis distinctione 4, cap. 16.

D § IV. Synopsis miraculorum S. Bernardi, quæ sunt innumerabilia (7).

SECTIO I. Infirmi, cæci, surdi, muti, claudi, contracti, fatui, phrenetici, et alii a S. Bernardo

ita tamen ut in hac capitum ac numerorum nova facta sit divisio. De locis, qui occurrunt ex libro septimo, consulat lector Commentarium nostrum libris Vitæ prævium § 66, et quæ post librum sextum a pag. 351 dicuntur de Fragmentis ex Herberto apud Mabillonium vulgatis. His adde ea quæ relata sunt superius in Gloria posthuma. Cæterum hanc nos synopsis in sectiones duas, appositis etiam utrique ad marginem numeris ac notationibus, partimur. Hæc habui, de quibus monerem meum lectorem; ut nihil jam super sit, quam producere ipsam synopsis, verbis laudati Domini collectoria huc transcriptam.

sospitati.—66, 67. Primum miraculum a S. Bernardo factum narrat Guillelmus lib. 1, cap. 9, num. 43. Josbertum scilicet in extremis positum, et extra sensus, fecit libere loquentem. Confitetur homo sua peccata, cæterisque bene dispositis juxta sancti Patris consilium, duobus aut tribus diebus post moritur.

Absens periculose quemdam ægrotantem sanat, dicens ejusdem uxori : « Vade, sanum invenies virum tuum. » Illa vero sic invenit. Cap. 6, n. 27.

Avunculum Galdricum a febris subito sanat. Cap. 10, num. 46.

Ipsam Guillelmum libri auctorem, eo quod sancto Patri in comedenda carne non obediret, reincidentem, et usque ad mortem afflictum, jam aquiescentem comedere, subito sanat. Cap. 12, num. 60.

Mulierem a caduco morbo sanat. Cap. 14, num. 67.

Episcopus Mediolanensis discum, ex quo sanctus Pater comederat, afferri jubet : jubetque infundi aquam, et panis exiguas buccellas apponi. Comedit et bibit, et absque ulla dilatione a febrium vehementi ardore convaluit, lib. II, cap. 3, n. 19.

Nobilis quidam de medicorum auxilio desperans, bibit de lavacro manuum ejus, et convaluit, cap. 7, num. 46.

Sacerdos desperabiliter ægrotans, et ad extrema devenisse visus, per tunicam S. Bernardi subito sanatur, lib. IV, cap. 1, n. 2.

Fratrem Robertum Clarevallensem positum in extremis absens sanat, n. 4.

Militem quoque in via, ut quocunque modo deportaretur ad virum sanctum, n. 5.

68. Miles ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam recipit sospitatem a febre quartana, qua graviter laboraverat mensibus fere octodecim, usque ad phrenesim, cap. 4, n. 24.

Ibidem num. 23, indicat auctor multitudinem febricitantium curatam, et inter alios clericum quemdam gravissima febris correptum, in pœnam, quod subsannans fidem populi blasphemasset, sed compunctum sanavit S. Bernardus.

Juvenis quidam correptus febris, epistolam susceptam a S. Patre collo suo appendens sanatur protinus, cap. 7, n. 40.

Mulierem ab annis octo pessima ægritudine laborantem, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutientem sanat, lib. V, cap. 1, n. 5.

Morti proximum manus impositione facit subito ambulare, lib. VI, cap. 13, n. 44.

Item puerum a multis diebus ne unum quidem passum potentem ambulare, ibidem.

Item mulierem viribus corporis adeo destitutam, ut nec ambulare, nec stare posset, cap. 14, n. 50.

In eodem lib. VI, alius a febris sanatus narratur, num. 3, epist. Gaufridi, post. lib. VI.

Vi um nobilem gravissima infirmitate laborantem curat, ibid.

A Item ibidem, virum pauperem longa infirmitate viribus fractum.

Item canonicum regularem semivivum curat ibid., num. 7.

Item ibidem, puerum morbo incognito laborantem, et post benedictionem lapidem evomentem, ibid.

Fratrem suum Girardum, ipso teste, sanat a morbo, serm. 26, n. ult. in Cant.

69. Multos alios a variis morbis ab ipso sanatos, præter dictos viginti tres, manifestum est ex cap. 3, num. 15, lib. II, ubi dicitur « maxima ei in curationibus ægritudinum gratia » fuisse « febricitantibus, inquit idem auctor n. 18, multis manus imponens, et aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit » et diversa loca perlustrans benefaciebat iis, qui infirmabantur . . . curando febricitantes, lib. III, cap. 6, num. 18, narrat, ingentem multitudinem languentium, gustato pane ab eo benedicto convaluisse, omnes, qui gustaverunt juxta promissionem a S. Patre factam. Manifestum est ergo, paucos, respectu eorum, quos a variis morbis curavit, ab auctoribus in particulari adnotatos, quod et confirmabitur ex art. 3 sequenti.

70. Reverendissimum Humbertum, Igniacensis postea cœnobii ædificatorem, et primum Patrem, in Claravalle ab acri morbo epilepsie sanat, lib. I, cap. 10, num. 48.

C Item mulierem præ hoc morbo impotentem ad loquendum, manus impositione, lib. VI, cap. 14, num. 47.

Item monachum quemdam, sed pro parte; ita ut casum præsentiret ad elisionem præcavendam, eo quod sic magis saluti animæ ejus expedire cognovisset, lib. VII, cap. 8.

Absens sanat paralyticum, Albertum nomine, in Hispania, lib. IV, cap. 6, n. 35.

Item mulierem paralyticam, tangens eam sub suo palliolo, lib. V, n. 6.

Lib. VI, memorat duodecim alios a paralyti sanatos : ex quibus, ni fallor, sunt decem, quos lib. IV, cap. 5 et 7 memorat.

D 71 Virum hydropicum cingulo suo accingens sanatur, lib. IV, cap. 7, n. 37.

Anselmum ^{episc.} Havenbergensium, in fronte et faucibus gravissime patientem, ita ut vix aliquid gustare posset, aut loqui, sanat, lib. V, cap. 5, n. 19.

Exanimem, et diu sine sensu jacentem, ac quod detraxisset miraculis S. Patri, sanat, ibidem n. 20.

Puerum incessanter flentem osculo sanat, lib. I, cap. 11, n. 23.

Petrum, Asturicensem episc. in Hispania, pileo suo ipsi transmisso et imposito, sanat a dolore capitis, lib. IV, cap. 6, n. 36.

Alterum a dolore capitis sanatum memorat, lib. VI.

In capites aucium curat, lib. iv, cap. 4, n. 24. Unum a tremore capitis sanat. lib. vi.

72 Veniamus ad cæcos, surdos, claudos, mancos etc. Transeo modum curationis, nisi circumstantia occurrat notabilis, contentus etiam solum lib. vi, sine cap. et n. citare, quia neglexi ea notare, eo quod non judicarem esse opus.

Puellam lucis impatientem sanat, lib. ii, cap. 3, num ult.

Illuminat puerum cæcum in testimonium quod expeditionem in Orientem, Deo inspirante, prædicaverat, lib. iii, cap. 4, n. 29.

Puerum in uno oculo cæcum sanat, lib. iv, cap. 4, n. 6.

Alterum ibidem utroque oculo orbatum ex utero matris, n. 7.

Omitto multos alios, quos idem lib. iv, illuminatos memorat; cum lib. vi, eosdem videatur memorare.

Lib. v, cæcum et cæcam illuminatos memorat.

Lib. vi, memorat illuminatos centum octoginta quatuor, ex quibus pro majori parte utroque oculo cæcos, quosdam uno, multos ex utero matris invenies.

Lib. vii, cap. 18, memorat unum illuminatum osculando terram, et eadem oculos confricando, quam audierat S. Patrem tetigisse transeundo. Itaque habes centum nonaginta unum in particulari cæcos illuminatos.

73. Surdos auditum percepisse octoginta sex memorat, lib. vi.

Mulos triginta et unum loquelam recepisse memorat, idem, lib. vi.

De uno vero mentionem facit lib. vii, cap. 21.

Lib. i, cap. 9, num. 44, puerum ab utero matri habentem manum aridam, et brachium tortum, sanatum memorat.

Lib. ii, cap. 3, n. 18, memorat aridas manus, et membra paralysi dissoluta incolumitati restituta, et inter alia manum adolescentis aridam et retortam ad brachium.

Lib. iv, cap. 4, n. 29, memorat pueros mancos duos curatos: quos vero in sequentibus memorat mancos curatos, memorat etiam lib. vi, memorat autem hic mancos et habentes manus aridas curatos quinquaginta septem. Plures alios a simili infirmitate sanatos indicat cap. 9, n. 32. Habentes brachia arida, seu impotentia ad motum, curat tres, lib. vi.

74. A fistula pedis sanat juvenem, lib. i, cap. 9, n. m. ult. Huc spectant claudi, qui gressum per virtutem sanctum acceperunt.

Lib. i, cap. 2, num. 54, memorat unum.

Lib. iv, cap. 4, num 28 et 29, memorat duos, quos in sequentibus memorat, citat etiam, lib. vi.

Lib. v, num. 7, memorat etiam duos.

Lib. vi, memorat centum quinquaginta septem claudos erectos, ex quibus pauci curvi fuerunt.

A Ibidem cap. xv, num. 51, gradiens genibus et manibus curatur.

Lib. vi, memorat undecim contractos, et omnino impotentes curatos, lib. vii, cap. 19, unam.

Caput erigere non valentes memorat, lib. vi, curatos 5.

75. Puerum fatuum et mentis inopem, claudum quoque surdum et mutum sanat, lib. iv, cap. 8, num. 44.

Lib. vi, fatuos duos menti restitutos memorat.

Henricum virum magnum et potentem in domo et familia ducis Bavarorum, magna ex parte phreneticum, et aliis incommodis laborantem desperabiliter, sanat, lib. iv, cap. 7, num. 37.

Item phreneticam idem, lib. iv, cap. 4, sanatam B commemorat.

Item alteram ibidem, cap. 6.

Lib. vi, etiam phreneticum sanatum memorat.

Absens corpore, sed præsens spiritu, submergendum salvat.

SECTIO II. *Mortui ad vitam revocati; mors dilata; impetrata proles; parturientes adjunctæ; imperium in dæmones, bestias, et elementa; alia stupenda miracula; conversiones; pænæ obstinatis inflictae; reconciliationes; prodigia S. thaumaturgi innumerabilia.*—

76. Mortuos resuscitavit tres: unum memorat lib. vii, cap. 19, idque mortuum subito in pœnam blasphemiae adversus S. Patrem. Alterum resuscitatum memorat, lib. ii Vitæ ejus a Joanne, cremita, editus: tertium, mulierem scilicet resuscitatum memorat C Barnabas de Montalbo, Hist. Cisterc. lib. iii, cap. 63. Vide cap. 30 Medullæ Vitæ S. Bernardi.

In agone positum revocat, et quasi retrahit comitantem, nec insalutatum abire permittit, lib. iv, cap. 2, num. 8.

Quidam moribundus ex mandato S. Patris mortem differt ad magis opportunum tempus, lib. vii, cap. 9.

Reginæ Galliæ sterili partum prædicat et impetrat, lib. iv, cap. 3, num. 18.

Mathildis Anglorum regina invocat absentem, et partum edit desperatum, ipsa pariter desperata, lib. iv, cap. 1, num. 6.

Mulierem anno integro gravidam mirabiliter facit parere, cap. 4, num. 22.

Alteram ibidem periclitantem in partu, aqua benedicta potata liberat.

77. Nunc dicendum de virtute miraculosa, quam habuit in dæmones, lib. ii, cap. 3.

« In dæmonibus eliminandis, ait Arnaldus lib. ii, cap. 3, num 15, frequentior operatio erat. » Item « Maxime oppressos a diabolo diligentiori studio purgabat, » cap. 4, num. 24.

Inter alios, de quibus particulariter fit mentio, lib. i, memorat dæmoniacum, surdum, cæcum, et mutum curatum, cap. 14, num. 67.

Lib. ii, cap. 2, num. 10, mulierem; num. 11, puellam; cap. 3, num. 13, mulierem; num. 17, puerum; et mulierem; in fine num. 20, cap. 4,

rursus mulierem, num. scilicet 21 et 22, num. 23, A virum, num. 24, mulierem ac dæmoniacos liberatos memorat.

Lib. iv, cap. 1, num. 7, memorat dæmoniacum curatum per stolam qua S. Pater in missa usus fuerat. Alterum, lib. vi.

Monachum a diabolo agitatum ad instar dæmoniaci, liberat, lib. ii, num. 7.

Feminam ab incubo dæmone mirabiliter liberatam memorat, lib. ii, cap. 6, num. 34 et 35.

A maleficiis virum liberat, lib. i, cap. 10, in fine.

His adde, quod narrat lib. ii, exordii ordinis Cisterciensis, cap. 7, item traditio. Vocatus S. Pater ab Innocentio II. Romam, in fine schismatis dæmonem, cujus insidiis rotam curru vectus fregerat, B ejusdem rotæ fractiōni miraculo substituit.

78. Sequuntur quædam miracula, ad gratiam san- nitatum non pertinentia, ex quibus constabit, Bernardum et elementis, sed bestiis, etc., per miracu- lous imperasse.

Pluviam procurat miraculose nondum religiosus, lib. i, cap. 3, num. 14.

Miraculose vires obtinet ad laborandum, cap. 4, num. 14.

Subvenit penuriæ suorum per miraculum, cap. 6, num. 27.

Annonam multiplicat, cap. 10, num. 49.

Epistolam scribit in imbre sine imbre, cap. 11, num. 50.

Indignus non potest deglutire eucharistiam, orante C S. Patre, qui eum indignum noverat : sed confessus ipsi, sine difficultate deglutivit, num. 51.

A multitudine muscarum oratorium purgat, eas excommunicando (improprie scilicet, juxta alibi dicta), num. 52.

Equum indomitum ante suos pedes facit stare, cap. 13, in fine.

Donum lacrymarum subito impetrat cuidam Nicolao, cap. 14, num. 68.

Gaufrido de Perona nimia tristitia afflicto impe- trat subito spirituales consolationes, lib. iv, cap. 3, num. 16.

Victoriam impetrat duci Ranulpho, lib. ii, cap. 7, num. 44.

Item duci Theobaldo, ibidem in fine lib. ii.

Item Portugallensibus contra Saracenos. Ita habet Medulla Vitæ ejus.

Dentem ex capite B. Cæsarii miraculose extrahit, lib. iv, cap. 1, num. 1.

79. Cum lues grassaretur in animalia bruta, bene- dixit sal, et apponi ipsis jussit, et protinus lues ces- savit. Quod in aliis, ait, quoque monasteriis vidi- mus et cognovimus, etc., cap. 4, num. 28.

Aliquoties fugientem, et, ut videbatur, protinus capiendum vel lepusculum a canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito, mirabiliter libe- ravit; dicebatque sequentibus, frustra sese conari,

(8) Vide comment. præv. num. 111.

nec ullatenus, se præsentem, ejusmodi exercere posse rapinam : nempe abhorrebat ab ea vir mansuetus, lib. iii, cap. 7, num. 27.

Aquam mutat in vinum, lib. vi, cap. 17.

Candelam sine igne miraculose accendit; num. 11, epistolæ in fine lib. vi.

Rigor et inflexibilitas æris, teneritudini digiti ejus cedit, lib. vii, cap. 27.

Benedictio ejus panem ab omni corruptione multis annis vindicat, quod et ipse Eskilo Danorum archi- episc. minus confidenti promittit, lib. iv, cap. 4, num. 24 et 25.

80. Sequuntur quædam conversiones non sine mi- raculo factæ. Cæteræ, teste etiam Alexandro III, in bulla canonizationis S. Patris, sunt innumera- biles.

Non dubito quia miraculosa fuerit conversio il- lorum amplius quam triginta sociorum, cum quibus Cistercium est ingressus, certe aliquorum, lib. i, cap. 3.

Huic adde conversionem suæ sororis, cap. 6, num. 30.

Nobilium cohortem militum per potum benedi- ctum convertit, facitque omnes monachos, cap. 11, num. 55.

Ducissam Lotharingæ convertit. Viderat illa in somnis Bernardum serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis extrahentem, etc., cap. 14, num. 68.

Convertit miro modo Guillelmum Aquitaniz du- cem, postea sancte mortuum, lib. ii, cap. 6, num. 38. Item Petrum Pisanum, cap. 7, num. 45 et 46. Victorem antipapam, num. 47.

Item venerabilem quemdam clericum Mascelinum, lib. iv, cap. 3, num. 14.

Item Henricum Germanum regis Galliæ, lib. iv, cap. 3, num. 15.

81. Item Andræam quemdam miro modo præ cæ- teris jam dictis contra nitentem, ibid.

Item Gaufridum de Perona cum variis aliis, num. 46. Item illius patrem, virum nobilem et potentem, num. 17.

Item nobilem virum Henricum de Salinis, cap. 8, num. 49.

D Clericos obstinatissimos convertit, num. 3, epist. post lib. vi.

Item populum Albigensem obstinatissimum in hæresi Henriciana, ibid., num. 10.

Item monachum dubium circa veritatem Euchari- stiæ, in sua fide jubet communicare, et convertit, lib. vii, cap. 6 (8).

Varios clericos Parisienses ad religionem conver- tit, cap. 13.

Latronem a crucis supplicio liberat, et sanctum facit, cap. 15.

Blasphemum suum a morte suscitatum convertit, cap. 19.

82. Alexandrum canonicum et doctorem Toloniæ-

sem per piscem ipsi oblatum, et prius benedictum, A religiosum facit, cap. 20.

Sacerdotem concubinarium et monachum apostatam convertit, cap. 21 (9).

Item monachum tertio apostatantem, cap. 25.

Hæc breviter de conversis a S. Patre, quorum conversio non tam exemplum, quam miraculum venit reputandum, ut videre est suis locis: unde merito Gerson, doctor et cancell. Parisiensis: « Inter miracula, ait, serm. de S. Bern., præcipua ego illa deputo, quæ egit in conversione illorum, qui etiam converti toto nisu fugiebant. » Sed tales pro maxima parte jam allati erant.

83. Constat et nonnullos viro sancto obstinate resistentes divinitus fuisse punitos. Inter alios Ramnolphum quemdam Doratensem abbatem, lib. 11, B cap. 6, num. 33.

Varios a dæmone possessos, num. 36.

Petrum Leonis antipapam, cap. 7, num. 47.

Hujus fautorem, Gerardum Engolismensem, cap. 6, num. 39.

Gaufridum comitem Andegavensium, lib. iv, cap. 3, num. 13.

Girardum quemdam clericum, lib. iv, cap. 4, num. 23.

Item Thomam de Beverla, quem ipse S. Pater testatur, subita et horrenda morte præreptum, epist. 108, num. 3.

Transeo reconciliationes varias, ab eo non sine miraculo factas inter privatos et publicos, inter reges et principes, inter civitates et civitates; inter C nos et Ecclesiam; inter episcopos et clerum: ita ut merito vocetur angelus pacis.

(9) Vide supra, numero 50.

84. Numera nunc miracula in particulari recensita, et invenies sexcenta septuaginta sex. Verum hæc esse pauca respectu eorum, quæ in particulari non sunt recensita, modo ex dictis constat et confirmabitur articulo sequenti, in quo R. D. Pastor, antea laudatus, ostendit miracula S. Bernardi esse innumerabilia. *Manricus autem ad annum Christi 1183, cap. 4, hæc scribit in rem nostram, oblata sibi opportunitate agendi de libro Miraculorum invento a Petro Monoculo abbate, de qua re exstat narratio Herberti superius in principio libri sexti, et quam allegatus Manricus ex eodem auctore etiam recitat:*

85. « Invenio, inquit, num. 5, notatione dignum circa hunc librum, id quod Ignatius Firminus Fiteriensis observatum reliquit, postquam cum aliis quinque contulisset, et cum Joanne Eremita, simulque cum Exordio atque Cæsario, quibus ex parte argumentum haud dissimile; ultra patrata quasi catervatim, et in confuso, velut cum cunctis gustaturis panem, cui benedixit (et erat panum ingens multitudo) repromisit salutem, ex singularibus atque specialioribus, centum et septuaginta supra mille miracula referri, quæ Sanctus fecerit. *Verba ejus, quæ sunt apud Manricum, ita sonant:* « Nam cæcos a nativitate inveni illuminatos 221; mutos locutos, et surdos auditui redditos 180; claudos gressui donatos 126; mancos, et debiles viribus et manibus 184; contractos libero suorum membrorum usui 125; amentes 11; demum tres mortuos luci et vitæ redditos, et sexaginta sanatos ab aliis morbis. »

DONATIONES PIÆ

TEMPORE S. BERNARDI CLARÆVALLENSIBUS FACTÆ.

Quæ numeralibus notis 1, 2, 4, 7, 9, 10, 11 prænotantur, nunc primum in lucem prodeunt. Has nobiscum perhumaniter communicavit D. RIBIERE DE JUBENVILLE, *Scholæ chartarum alumnus.*

I.

JOCERANNUS IMMUNITATEM DECIMARUM.

(Cartulaire de Clairvaux, *Grangia-Abbatie*. IV*. — Anno 1121.)

In nomine summe et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Ego Jocerannus, Lingonensis ecclesie nutu Dei episcopus, cum in ejusdem matris basilice gremio una cum Archidiacono nostris et multis aliis religiosis personis, presente etiam Domino et patre nostro Lugdunensium Primate Humbaldo, cum suorum comitatu reverentissimo, de statu et ordinatione ejusdem ecclesie unanimiter tractaremus, venit ante nostre presentie optutus domnus Bernardus, monasterii Clarevallis,

D quod Deus nostris temporibus revelaverat, Abbas religiosus, rogans, et cum omni humilitate deposcens quatenus de fundo ipsius loci et immunitatibus suis et de aliis quibusdam rebus necessariis, auctoritatis nostre presidio munitum privilegium faceremus, et presentis pagine decreto sollemniter confirmaremus. Cujus juste et rationabili petitioni libenter acquiescere decernentes, quicquid justitia et honestate dignum postulare visus est, tantorum virorum judicio recto ordine ad effectum perducere curavimus. In primis igitur firmam immunitatem et perpetuam libertatem in Christo, salva Lingonensis Episcopi canonica obedientia et subjectione, ipsi loco et fratribus presentibus et in posterum succes-